



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)



P R Æ F A T I O.



Um Ecclesia in terris militans constet variis ingeniis hominum passionibus excœcatorum, quibus ipsa pro commissa sibi cura moderari ac frenum injicere tenetur, aeterna divisionis animorum, turbarumque semina sinu suo complectitur. Verùm hæc bella intestina, & Schismata, quibus Ecclesia cruentatur, animos nostros dejicere non debent, quasi promissis non staret Dominus. Navi quippe comparatur Ecclesia, ne, dum eam conspiciamus fluctibus agitari, jactarique tempestatibus, percellamur rei novitate attoniti, & absurditate turbati. Non aberrat à navicula Petri Christus Dominus, dum ventorum rabie quassabatur: absit timor ne Ecclesiam suam deserat, quam eam Schismatum Heresumque turbinibus infestari subindè permittat. Dormitare videtur eo sine, ut servorum suorum

PRÆFATIO.

rum vigiles, intrepidos & fideles animos, experiatur. Tot ac tanta tempestates, quibus firma Ecclesia navis toties verberata, nunquam fuit eversa, totidem argumenta sunt, quæ probant Christum Dominum esse, qui eam dirigit manu ejus, cui commisit gubernaculum.

Ecclesiam hodie ex his tempestatibus unâ jactari, ne ignoremus, facit Gallia vicinitas. Oppugnantium eam ac defendentium audimus clamores. Periclitari Religionem, inter partes dissidentes non controversitur. Oppugnantes Bullam Unigenitus, omne periculum fidei, ex receptione Bullæ, quam velut Ecclesiæ scandalum depingunt, imminere prætexunt. Defendentes contra demonstrant, Religionem, nisi receptâ Constitutione, salvam stare non posse; idque remedium eò magis esse necessarium, quò amarior efficaciusque Novatoribus apparet.

In hac lucta sententiarum fidelis populus, cui Ecclesiæ adherere fixum est, facem sibi accendi desiderat veritatis. Cùm autem Novatores prætendant non esse se ab Ecclesiâ separatos; & pauci de argumentis Theologicis, pro vel contra censuram 101. Propositionum utrimque allatis, ferre possint judicium: fit, ut mul-
torum

PRÆFATIO.

torum suspensi animi culpanda fluctuente dubitatione. Hæc me causa impulit, ut aperirem viam brevem ac facilem monstranda etiam simplicioribus veritati: quâ facile discernere possint, quandonam, flagrantibus fidei controversiis, unitas Catholica scindatur, qui sint qui eam scindunt, & sunt Schismatis auctores. Nam cum deprehenditur à qua parte stet unitas, indubitatum est pro qua stet veritas. Ecclesia, inquit S. Cyprianus, domus est Unitatis & Veritatis.

Itaque hujus Tractatus finis & scopus est, tantam fidelibus præferre lucem, ut depulsa erroris caligine judicare ipsimet possint, quandonam formetur Schisma, quâ ratione formetur, & quanto ab omnibus horrore sit detestabile. Felix, si hæc opella utilis esse possit iis, qui in Gallia tuentur Religionem. Nihil mihi propositum fuit aliud, nisi ut munirentur Catholici contra contagionem erroris, detegendo ulcus Schismatis, quod occultatur studiosè, quo facilius per corpus univ-
sum grassetur. Lectorem oro atque obtestor, ut Tractatum hunc eodem, quo compositus fuit, spiritu legat; simulque Dominum obsecro, ut eos cumulet benedictione cœlesti, qui Opusculum hoc pi-
a0

PRÆFATIO:

ac sincero corde pervolverint ; ut sint stu- Ephes. 4.
dentes servare unitatem spiritûs in vin-
culo pacis.

Quicumque hanc Schedam accep-
turi sunt, eos per Sacrosanctam Tri-
nitatem adjuro ut eandem Episcopis,
Presbyteris, Diaconis, Lectoribus,
Laicis quoque Constantinopolim ha-
bitantibus ostendant, ejusque exem-
plum, ad evidentem hæretici Nesto-
rii confusionem iisdem impertiantur.

*Euseb. Dorileus in scripto contra Nesto-
rium 1. parte Conc. Ephes. c. 13.*

PRÆFATIO

de fidei unitate tractatus in vi-
culo presertim in hunc modum
Quicquid hanc seculum accep-
tum fuit, esse per seculum in ri-
gorem ad hunc et eandem hunc
Presbyteris, Diaconis, et aliis
Litteris quibus Constantiopolim ha-
bitantibus ostendit, quibus exem-
plum, ad exemplum hanc in his
et ceteris in hunc modum
Et ceteris in hunc modum
Et ceteris in hunc modum